



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10259**

XXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)

DE SS. MARTYR. PRISCO, MALCHO ET ALEXANDRO.

441

animos confirmabat, inter sanctas illorum miserè plorantiū manus emisit spiritum. Ecce autem dum lugent discipuli, coetus angelici à quibusdam audiuntur religiosi viris, cum canticis caelestibus animam sancti viri ad illam beatam Hierusalem perferentes. Cumque eius sacratissimum corpus ad sepulcrum apportaretur, visi sunt viri splendissimi, candidissimis amicti stolis: qui peractis ijs, quæ ad funeris curam pertinent, disparuerunt: quos quidem nemo dubitauit angelos fuisse, atque idcirco apparuisse, vt omnes intelligerent, qua ille beatitudine frueretur in caelis, ad cuius sepulturam etiam angeli non dedignarentur adesse.

Obit S. Rupertus.

O felicem luuauensem urbem, tam insigni munitam patrono: quæ etsi murorum ruinis videatur despiciabilis, at illius meritorum lumine egregiè clarescit. Denique tanti viri intercessione fulti gaudent Norici omnes, & præpotenti Deo perpetuas offerunt laudes, qui tam præclarum ipsis contulerit doctorem, cuius doctrina & prædicatione viam veritatis agnoscentes, erepti sint de tenebris, & perducti ad Christum lumen verum, viucentem & regnantem in infinita secula seculorum, Amen.

S. Rupertus doctor Noricorum.

DE SS. MARTYRIBVS PRISCO, MALCHO ET ALEXANDRO, EX HISTOR. ECCLESIAST. EVSE-

bij lib. 7. cap. 11. interprete Ioanne Christophorsono.

**I**N hac persecutionis clade, quam regnante Valeriano passim manâse supra demonstratum est, tres viri ob veram Christi confessionem insigniter prædicati, Casarea Palæstina bestiarum rictibus velut præda obiectati, diuino & caelesti martyrio non sine maxima commendatione decorati fuerunt. Quorum vnus Priscus vocabatur, alter Malchus: tertio nomen erat Alexander. Fertur verò istos ruri degentes, primùm seipfos tâquàm inertes & desides probris affecisse, quòd cum temporis opportunitas præmium vitæ aternæ his, qui caelesti eius desiderio gliscabant, dispertire videretur, ipsi præ negligentia quadam & segnitie, martyrij coronam non præripuissent. Deindè cum inter se ita deliberassent, absque mora Casaream versùs ire pergunt, extemplò proficiscuntur ad iudicem, & eius vitæ exitum, qui supra demonstratus est, assequuntur.

28. Martij.

Martyres bestijs obijciuntur.

DE GVNTRAMNO sancto rege Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum, cap. 76. sic scribit: Cùm autem Guntrammus rex ita se spiritualibus actionibus mancipasset, vt relictis seculi pompis, thesauros suos ecclesijs & pauperibus erogaret, accidit vt misso presbytero munera fratribus, qui Sanctis Agaunensibus deseruiunt, ex voto transmitteret: præcipiens presbytero, vt ad eum rediens, Sanctorum sibi reliquias exhiberet.

Eodem die.

MARCI ARETHVSII EPISCOPI ILLVSTRE MARTYRIVM, AVTHORE D. GREGORIO NAZIANZENO ORATIONE INVECTIUA PRIMA IN IULIANVM IMPERATOREM: INTERPRETE VERÒ DOCTISSIMO VIRO IACOBO BILIO PRUNEO, S. MICHAËLIS IN EREMO ABBATE. HABENT AUTEM PLERAQUE ETIAM THEODORETVS HISTOR. ECCLES. LIB. 3. CAP. 6. & SOZOMENVS EIVSDEM HISTORIAE LIB. 5. CAP. 19. IN VERSIONE IOHANNIS CHRISTOPHORSONI ANGLIÆ EPISCOPI.

**I**AM verò id, quod eximio viro Marco Arethusio accidit, quis tam ab orbe nostro remotus, vt ignoret, ac commemorantem narratione non anteuertat? Hic cùm, egregio illo Constantio Imperante, pro ea licentia quæ tum Christianis concessa fuerat, domicilium quoddam dæmonum euertisset, ac multos Christianos à gentili errore ad salutem non minùs vitæ splendore, quàm dicendi facultate traduxisset, iam pridem odio atque indignationi Arethusijs erat, vel potius Arethusiorum impijsimo cuique dæmonumq; amantijsimo. Posteaquàm autem, mutatis Christianorum rebus, gentilium res tumere cœperunt, temporis

29. Martij.

De Iuliani Apostatae Imperio dicentur.